

ebrietas. Crapula enim est excessus cibi, seu immoderata voracitas, et ingluvies, qua stomachus prægravatur; *Cap. Ne tales* 28. *dist. 5. de consecr.* dicit enim lex: «*Ex nimia ingurgitatione olet os*; I. Quod clarum § Is cui, ff. de ædil. edict. *Glossa* in cap. Cum Apostolus, de censibus in verb. sumptuosas.» (19. Dicitur autem Crapula quasi cruda epula. *Glossa in d. cap. A Crapula, verb. Crapula*, quia homines ita voraciter epulantes nimiamque ciborum superfluitatem ingurgitantes, perfecte non digerunt, sed materiam indigestam emittunt; *cap. Sint tibi* 18. et *cap. Ne tales* 28. *dist. 5. de consecr.* (20. Ebrietas vero est excessus vini, et immoderata potatio, et sic distinguunt *Glossa* 1. in *cap. A Crapula* 14. *de vita et honest. Cleric.* et ibidem *Hostiens. n. 1. Joann. Andeas n. 4. Butrius n. 8. Ancharan. et Abb. n. 1. Fagn. n. 9.* et alii. Sed Aristoteles in *Problema*. in eo distinguit crapulam ab ebrietate, quod ebrietas una cum mente admittit et sensum doloris, crapula vero constante animo caput afflicat. (21. Dicitur autem ebrietas ab *E* quod est sine, et *bria* quod est mensura; unde ebrius dicitur, qui sine mensura bibit, hoc est usque ad privationem usus rationis. Ita *Glossa in d. c. A Crapula, verb. Crapula*. (22. Unde licet hæc omnibus prohibeantur, præcipue tamen damnantur in Ecclesiasticis, et Dei servitio mancipatis; *cap. Vinol.* 6. *dist. 35.* ibi: «*Vinolentum Sacerdotem et Apostolus damnat, et vetus lex prohibet. Sacerdotes, qui ministrant in templo Dei, prohibentur vinum et siceram bibere, ne crapula, et ebrietate aggraventur corda eorum.*» (23. Nec Clerici debent bibere ultra tertiam vicem, ut dicit textus in *cap. Quando presbyteri* 9. *dist. 44.* ibi: «*Et maxime ultra tertiam vicem poculum non contingant.*» Unde *Lucius Apuleius Florid.* 1. Prima, inquit, cratera ad sitim pertinet, secunda ad insaniam; sed in hoc spectanda est qualitas complexionis, et temporis, et omnia ad sobrietatem, et necessitatem sunt reducenda, ut recte advertit *Marian. Soccin. in cap. Si constiterit num.* 19. *vers. Tertio quoties sit bibendum, de accusationibus.* Licet enim *Navarrus in Manual. cap. 25. n. 111.* dicat, quod Clerici ultra tertiam vicem bibentes peccent, tamen secundum rectum sensum *Abbat. in cit. cap. A Crapula n. 2. verb. Nam debet Clericus*, est sic tenendum, dummodo appetitus naturalis ultra non exigit.

## ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(24. An lusus schaccorum referendus sit ad ludum aleæ, Clericisque sit prohibitus, non conveniunt Doctores. (25. Dubium nascitur ex eo quod ingenii magis quam fortunæ ludus esse videatur. Qui licitum eum faciunt, quatuor observari volunt requisita. I. Ut ad oblectamentum non ad lucrum ludus instituat. II. Ut non magnum temporis spatium insumatur, ne a rebus sacris abstrahantur. III. Ut aliorum, et præsertim sæcularium aspectus evitetur. Et IV. Ut profanos viros in eo socios non admittant. (26. At *Angelus de Malefic.*

*pag. 333, et Navarr. in Manual. Confess. cap. 20. sub num. 3.* eum Clericis interdictum volunt, quum ad latrunculos istos artificiose versandos exigatur ea ingenii contentio, ac prolixitas temporis, ut ad animos potius defatigandos, quam relaxandos aptus videatur, et qui vincitur numquam non male se habet.

## ARTICULUS VI.

## Clericus quoad arma, et venationem.

(1. Clerici sine justa et necessaria causa arma deferre non possunt; «*cap. Nimirum* 1. *Cap. Cum a Judæis* 2. *cap. Non pila* 3. *capit. Clerici* quæ. 15. *cap. Quicumque ex Clero* 6. *caus. 23. quæst. 8. cap. Clerici arma* 2. *de vita, et honestate Clericor.* *cap. In audientia* 25. *de Sentent. Excommunic.* et *Clement. 1. de vita et honestate Clericor.* in fin.» ibi: *Arma portantes.* (2. Quinimmo est Clericis prohibitum arma deferre sub pœna Excommunicationis; textu claro in dicto *cap. Clerici arma portantes. . . excommunicentur.* (3. Unde inferunt Doctores, quod Clerici arma prohibita deferendo peccent mortaliter, quia Excommunicatio non fertur nisi pro gravi crimine; *cap. Nemo Episc.* *cap. 14. Caus. 11. q. 3.* ibi: «*Quia Anathema æternæ est mortis damnatio, et non nisi pro mortali debet imponi crimine. Concordat cap. Nullus Sacerdotum* 42. *eadem caus. et quæstione.*» (4. Et ratio, quam communiter reddere solent Doctores, est, quia Clericorum arma, et munimenta debent esse Orationes, et lacrymæ, ut inquit *S. Ambrosius ad Marcellinam sororem Epist.* 33. et refertur in *c. Convenior.* 21. *caus. 23. q. 8.* ibi: «*Lacrimæ meæ mea arma sunt, talia enim sunt munimenta Sacerdotis.*» Idemque *S. Ambrosius relatus in cap. Non pila* 3. *caus. 23. q. 8.* ibi: «*Orationes, et lacrimæ fuerunt mihi arma adversus Milites, talia enim sunt munimenta Sacerdotis,*» et colligitur ex *Divo Hieronymo in Levitico*, et relato in *cap. Si quis* 3. *dist. 36.* et ex *Joanne Summo Pontifice in cap. Porro* 14. *caus. 16. q. 3.* (5. Sed quoad hoc, et omnia quæ faciunt ad delationem armorum, vide verb. *Arma* ubi late per totum.

(6. Venatio frequens, et voluptuosa præcipue cum armis, et clamorosa, est Clericis interdicta; *cap. Episcopum* 1. *de Clerico venatore*, ibi: «*Episcopum, Presbyterum, aut Diaconum canes, aut accipitres, aut hujusmodi ad venandum habere non licet. Quod si quis talium personarum in hac voluptate sæpius detentus fuerit; si Episcopus est, tribus mensibus a communione, si Presbyter duobus; si Diaconus ab omni officio suspendatur;*» *cap. Omnibus* 2. *eodem tit.* ibi: «*Omnibus Servis Dei venationes, et silvaticas fatigationes cum canibus, et accipitres, aut falcones habere interdicimus.*» *Conc. Lateranense IV. Can. 15. sub Innocentio III.* his verbis: «*Venationem, aut Aucupationem universis Clericis interdicimus; et Concil. Trident. sess. 24. cap. 12. de reformat. ubi præcipitur, ut Clerici at illicitis venationibus, et aucupiis absti-*

neant.» (7. Venatio enim, quæ fit cum canibus, et falconibus propriis ex voluptate, dicitur clamorosa, et illicita; ex *ciat. cap. Episcopum* 1. et *cap. Omnibus* 2. *de Clerico venat.* Difficile enim est, quod hæc venatio non sit illicita Clericis, si canes, qui ad venandum retinentur, ex bonis Ecclesiæ nutriantur. Nam cum bona Clericorum sint pauperum, aut Ecclesiæ, et consumi non possint, nisi in usus pios, non erit leve delictum, si comedant bestia, quod Christi pauperes alere deberet. *Passer. de stat. homin. tom. 2. qu. 187. art. 2. num. 293.* ubi expendit textum Evangelii *Matth. 15.* «*Non est bonum sumere panem filiorum, et dare canibus.*» (8. Unde jure merito observat *S. Hieronymus*, quod et notare, et trepidare deberent omnes Clerici venatores, quod venatores fuisse Sanctos non legitur. Sic refertur in *cap. Quorundam* 1. *dist. 34.* ibi: «*Nam et B. dicit Hieronym. venatorem numquam legimus sanctum; et cap. Esau* 11. *dist. 86. ibi: Esau venator erat, quoniam peccator erat, et penitus non invenimus in Scripturis Sanctis Sanctum aliquem venatorem.*» (9. Nec minus urgent, quæ contra vitium venationis declamat *Sanctus Ambrosius relatus in cap. Quid prodest* 12. *dist. 86.* ibi: «*Quid prodest jejunare visceribus, et luxuriare venatibus, abstinere cibis, et errare peccatis?*» Et in *cap. An putatis* 13. *ead. dist. 86.* ibi: «*An putatis illum jejunare fratres, qui primo diluculo non ad Ecclesiam vigilat, non Beatorum Martyrum loca Sancta perquirat, sed surgens congregat servulos, disponit retia, canes producit, saltus, silvasque perlustrat? Servulos, inquam, secum pertrahit, fortasse magis ad Ecclesiam festinantes, et voluptatibus suis peccata accumulata aliena, nesciens reum se futurum tam de suo delicto, quam de perditione servorum.*»

(10. Unde neque Episcopis licet arma concedere Clericis pro sola voluptuosa venatione, quia ex Sacra Congregatione Immunitatis fuit declaratum, licere Episcopis concedere Clericis licentiam gerendi arma solum cum legitima causa juxta Sacros Canones, ut in *Carinolen. 2. Jul. 1647. Decret. Paul. pag. 14.* his verbis: «*Episcopo licere licentiam concedere Clericis gerendi arma ad præscriptum Sacrorum Canonum, illaque non posse comprehendere sub bannimentis laicalibus; et in Bellocast. 18. Junii 1658. lib. Decret. Rocci pag. 92.* his verbis: *Episcopus cum legitima causa juxta Sacros Canones potest concedere Clericis licentiam gerendi arma, nec illi comprehenduntur sub bannimentis Laicalibus.*» (11. Adeoque cum ex suprad. etis aperte constet extra casus itinerris, et necessariæ defensionis ab hostibus, et latronibus, Clericos arma deferre, et præsertim pro voluptuosa venatione, esse contra, et non juxta Sacros Canones, stat evidenter, quod Episcopi nequeant licite pro ista sola causa eis licentiam concedere arma gestandi; et consequenter Episcopi, concedendo Clericis licentiam deferendi sclopum venatorium, non sunt immunes a culpa, quia

potestate, quam dedit illis Deus in ædificationem, ipsi abutuntur in destructionem contra præceptum Apostoli 2. *ad Corinth. cap. 18. et c. 13.* (12. Nec excusari possunt Episcopi prætextu, quod Canonum rigor abierit in desuetudinem, et quod contrarius fere ubique hodie invaluerit usus; quia talia opponentibus aptatur responsio *Innocentii III.* data *Archiepiscopo Turonensi contra aleatores*, qui se excusabant prætextu consuetudinis, in *cap. Cum inter dilectos* 11. *de excessibus Prælator.* his verbis: «*Nos tamen, qui ex Officii nostri debito pestes hujusmodi extirpare proponimus, atque ludos voluptuosos, occasione quorum sub quadam curialitatis imagine ad dissolutionis materiam devenitur, penitus improbamus excusationem prædictam, quæ per pravam consuetudinem (quæ corruptela est) palliatur, frivolum reputamus, cum in illis magis plectibilis sit offensa, per quos ad excusandas excusationes in culpis, delinquendi auctoritas usurpatur.*» Et concordat *cap. Ad Audientiam nostram* 3. *de consuetudine*, ubi sic expresse habetur. *Consuetudo quæ Canonicis obviat institutis, nullius debet esse momenti.* (13. Et etiam quia talis excusatio improbatur hodie a *Sacro Concilio Trident. sess. 22. c. 1. de reform.* præcisus, et formidandis his verbis: «*Statuit Sancta Synodus, ut quæ alias a summis Pontificibus, et a Sacris Conciliis de Clericorum vita, et honestate, cultu, doctrinaque retinenda, ac simul de luxu, comensationibus, choreis, aleis, lusibus ac quibuscumque criminibus, nec non sæcularibus negotiis fugiendis copiose, et salubriter sancita fuerunt, eadem in posterum ipsisdem pœnis, vel majoribus arbitrio Ordinarii imponendis observentur. Nec appellatio excusationem hanc, quæ ad morum corruptionem pertinet, suspendat. Si qua vero ex his in desuetudinem abiisse compererint, ea quam primum in usum revocari, et ab omnibus accurate custodiri studeant, non obstantibus consuetudinibus quibuscumque, ne subditorum neglectæ emendationis ipsi condignas Deo vindicæ pœnas persolvant.*»

(14. Et per hoc *Patres In Concilio Mediolanensi I. part. 1. tit. de armis, ludis, et spect.* *pag. 18.* una cum *S. Carolo congregati* sic absolute decreverunt: «*Idcirco edicimus, ne Clerici arma cujusvis generis ferant; quod si Episcopus probabili justaque de causa id eis permittendum judicaverit, tunc scripto impetrata venia, ipsis uti liceat, non tamen publice, nisi rei, aut facti necessitas postulet: omnino balista, hastis, et selopeto, aliisque hujus generis instrumentis uti ipsis interdicimus.*» (15. Et sic etiam censuit *Sac. Congreg. Immunit. in Ostunen. 6. Jul. 1697.* in qua cum *Clerus Terræ S. Viti illius Diœcesis recursus* habuisset ad dictam *Sacram Congreg. pro moderatione Synodi*, in qua inter cætera in *tit. de vita et honestat. Clericor.* statutum reperiebatur sic: *Ne quis gestare audeat, seu afferre arma non prohibita offensiva, videlicet Pistole, Terzette, Archibugi seu Schiopette, Spade, etc., ed altre armi offensive, sub pœna exilii ab hac Civitate, et*

*Diocesi per quinquennium, etc.* Et cum Eminentissimus Cardin. Casanata, cui dictæ Synodi revisio commissa fuerat, votum dedisset ita conceptum: *Episcopus gratis, et discrete licentiam concedat*; facta relatione in plena Congregatione sub dicta die prodiit resolutio: *Servetur decretum Synodi prout jacet.* (16. Nec valet objicere, quod non desunt Doctores tum Canonistæ, tum Theologi, qui sus inent esse licitam Clericis delationem sclopi venatorii pro sola voluptuosa venatione. Non valet, inquam, quia præcipui Doctores, qui admittunt, Clericis aliquando recreationis gratia licitam esse venationem, intelligunt de venatione quæ exercetur, et fit cum retibus, laqueis, et hujusmodi sine strepitu, et clamore, ut patet ex propriis ipsorum verbis, quorum varia hic ad uberiorem notitiam subnectimus. Abbas in *cap. 1. de Clerico Venatore n. 1. lit. C.* sic expresse habet: « Quædam vero est venatio, quæ fit cum retibus, seu laqueis, et licita est Clericis, dummodo frequenter non insistant; » Sylvester in *Summ. verb.* venatio sic habet: « Ponere autem laqueum, vel rete sine strepitu, et clamore, et Canibus, licet etiam Clericis; » Hostiens. in *Summ. tit. de Clerico venatore, n. 2.* ait: « Licet enim Clericis causa necessitatis, utilitatis, vel recreationis cum retibus, laqueis, et canibus venari, dummodo cum silentio et modestia; » Bertacin. *reperit. in verb. Venatio vers. 3.* circa fin. dicit: « Quædam est venatio, quæ fit cum rete, seu laqueo, et licita est Clericis, dummodo frequenter non insistant; » Turrecremata in *cap. Quorundam Dist. 34. num. 9.* sic habet: « Alia venatio, quæ fit cum retibus, et laqueis forte licita est Clerico, quia non fit cum clamore, nec emittuntur voces; » et in *cap. Qui venatoribus dist. 86. num. 3.* in fin. sic inquit: « Venatio cum laqueis, et Pedicis atque retibus clericis etiam est licita, dummodo cum silentio, et modestia fiat; » Graff. *dec. aur. par. 2. lib. 3. n. 9.* sic concludit: « Venatio cum laqueis, et pedicis, atque retibus, et canibus Clericis etiam est licita, dummodo cum silentio et modestia fiat; » Barbosa *Juris Ecclesiast. univ. lib. 1. cap. 40. num. 79.* sic asserit: « Postremo Clericis non licet canes habere, vel accipitres ad venandum; nec venationes facere periculosas, seu clamorosas, veluti aprorum, et cum armis; » Gonzal. *commentar. in cap. 1. de Clerico Venatore* sic adducit: « Venatio silvatica, aucupatica, saltuosa, de qua in præsentia agitur, est dum armis, canibus, seu avibus quis animalia terrestria, seu aves aucupatur, et ratio prohibitionis ea est, quia plerumque fit armis; » et num. 8. refellendo objectiones concludit, quod venatio hæc in Clericis sit usus improbus; Sebastian. *Medic. tract. de venat. part. 1. quæst. 8. num. 18.* sic firmat: « Venatio vero quæ fit cum rete, aut laqueo, licita est Clericis, dummodo frequenter non insistant; » Diana *part. 3. tract. 6. miscellan. resolut. 19.* sic dicit: « Sed ego puto cum Panormitano, venationem Clericis recreationis causa non esse prohibitam, dummodo non sit clamorosa, sed modesta, nempe cum retibus vel laqueis. »

(17. Et sic fere omnes Canonistæ consimili

sensu, quamvis non iisdem verbis, cum quibus et nos concludimus, quod quamvis non sit licita Clericis venatio voluptuosa, tumultuosa, et clamorosa, et moderata nimis frequenter facta, ut usque modo diximus; est tamen eis licita venatio quieta, et moderata raro facta, et non pro sola voluptate venationis, sed vel causa necessitatis ad tollendas feras noxias vineis, segetibus, etc., vel causa utilitatis, ut dum ex tali venatione partem reddituum, vel alias fructum notabilem percipiunt, vel causa honestæ recreationis, seu distractionis pro tuenda, et recuperanda sanitate. (18. Sic *Gloss. in cap. Episcopus 1. de Clerico Venatore, verb. voluptate*, ibi: « Ergo videtur, quod causa necessitatis, vel recreationis licitum sit, quod possit concedi aliis Clericis excepto Episcopo, cui omnino non licet; *dist. 34. cap. 1.* dummodo clamorosam venationem evitent. *Dist. 86. cap. An putatis, et non sæpius, ut hic, (scilicet in d. cap. Episcopus)* dicit *ne in consuetudinem perducant;* » et sic etiam tenent communiter Doctores, et in specie Abbas in *d. cap. Episcopus 1. de Clerico Venatore num. 1.* et ibi Hostiens. et Barb. *num. 2.* Sylvester *verb. Venatio; Menoch. consil. 121. num. 50.* Sebast. *Medic. de venat. piscat. et aucup. p. 2. quæst. 7. num. 17.* Bellet. *disquisit. Cleric. p. 1. tit. de Disciplina Cleric. § 19.* Bernard. *in pract. cap. 79. per totum, secundum novissimam impressionem, Sayr. in Clavi Regia lib. 11. cap. 9. n. 7.* Rebell. *de obligat. justit. part. 1. lib. 2. quæst. 14. num. 9.* Pirhing. *lib. 5. Decretal. tit. 24. num. 3.* Reiffenstuel *ib. num. 3.* Th. Valasc. *allegat. Juris tom. 1. alleg. 21. num. 13.* ubi refert ad hoc Constitutiones Synodales Diocesium Brachar. Ulyssipon. Elbor. Colimb. Visen. et Lamaen. Martha *de Jurisdic. part. 4. cas. 37. a num. 17.* ubi advertit, Clericos *per d. c. Episcopus* non esse regulariter prohibitos venari, sed tantum si ad voluptatem venati fuerint, et sæpius in ipsa voluptate detenti; et alii passim id colligentes *ex d. cap. Episcopus*, ubi videtur interdicti Clericis sola venatio frequens, voluptuosa, et clamorosa, ibi: *In hac voluptate sæpius detentus.... canes aut accipitres, aut hujusmodi ad venandum habere non licet; et ex d. cap. 13. Concil. Trident.* ubi præcipitur Clericis abstinere ab illicitis venationibus. Cum enim ibi non dicatur absolute a venationibus, aut ab omnibus venationibus, sed ab illicitis, supponitur aperte, aliquas esse ipsis licitas, quales revera videntur esse venationes quietæ, et modestæ, et raro factæ propter aliquam ex tribus causis adductis *sub num. 17.* (19. Et hoc venandi genus saltem approbasse videtur Sacra Congregatio Immunitatis in *una Civitatis Castellæ. sive Hortana Libertatis venandi pro Clero Suriani*, in qua *sub die 23. August. 1667.* censuit rescribendum ad A. C. non impedita interim venatione Ecclesiasticis; et *sub die 20. Decemb. ejusd. anni* re iterum proposita censuit standum esse in *decisis*; quod quidem non decrevisset, si omnis venatio esset Clericis interdicta. (20. Et per hoc fuit notanter dictum

in conclusione *sub num. 6.* quod *venatio frequens, et voluptuosa præcipue cum armis, et clamorosa, est Clericis interdicta.* Et de facto hæc tantum venationem prohibuit Sacra Congr. Episc. et Regul. in *una Casertuna sub die 6 Jun. 1601.* (21. Et notanter etiam diximus *sub n. 10.* quod neque Episcopis licet arma concedere Clericis pro sola voluptuosa venatione, quia ex *Decretis Sac. Cong. Immunit. sub d. n. 10.* adductis possunt Episcopi concedere Clericis facultatem arma gestandi ad præscriptum Sacrorum Canonum, et cum legitima causa, uti esset aliqua ex tribus assignatis *sub d. n. 17.* Et a fortiori esset justa ratio concedendi talem facultatem causa itineris, et defensionis ab hostibus, et latronibus *ex cap. Maximianus caus. 23. q. 3.* utque fuit dictum *verb. Arma num. 9. 10 et 11.*

(22. Venatio quæ fit retibus, vel laqueis moderatæ, et honestæ recreationis gratia, ut piscatio, et hujusmodi, est licita Clericis. Tum quia cessant omnes rationes, quibus est prohibita venatio tumultuosa, et clamorosa cum armis offensivis; ut periculum homicidii, mutilationis membrorum, et consequenter irregularitatis, etc. (23. Tum etiam quia invenimus in Scriptura Sacra plures Piscatores Sanctos, venatores autem, ut supra, prohibitos, non item, ut observat S. Hieronymus relatus in *c. Quorundam 1. dist. 34. et in c. Esau 11. dist. 86.* ubi sic habet: *Et penitus non invenimus in Scripturis Sanctis sanctum aliquem Venatorem, Piscatores invenimus Sanctos.* (24. Dummodo tamen non fiat in solemnitatibus majoribus; *c. Licet, de feriis.* (25. Et neque animo negotiandi; dicerentur enim Clerici negotiatores, si piscationem exerceant, ut pisces venderent. Alberic. in *l. Legatis servis, ff. de legat. 3.* Sebastian. *Medic. in tract. de piscat. et venat. q. 60.* Bellet. *disquisit. Cleric. part. 1. tit. de discipl. Cleric. § 19. in fin.* Sperell. *decis. 124. num. 35.* Barbosa in *cap. Episcopus 1. de Clerico venatore num. 6.* et alii passim. (26. Et dummodo ab Episcopo eorum Ordinario per edictum, vel in Synodo, vel alias non prohibeatur; tunc enim absque ejus licentia piscari non possunt; quia tunc solum causa rationabilis exeusat, quando fit de licentia Superioris, ad quem pertinet distinguere inter casum et casum, et tempus licitum et illicitum; *c. Concilium vers. potes, et debes de observ. jejun. Sperell. dec. 124. sub num. 37.* Graff. *dec. aur. part. 2. lib. 3. cap. 17. n. 14.* Monacell. *tom. 1. tit. 6. form. 5. n. 15.* (27. Hinc advertendum venit, quod licet venatio, et piscatio pro uno eodemque Jure ponantur in *l. 2. et 5. ff. de acquir. rer. dom. et §. fere, instit. eod.* tamen non nihil inter venationem, et piscationem revera interest; nam generaliter loquendo venari in alieno licet, piscari non item; *l. Injuriarum 13. §. fin. de injur. Donell. lib. 4. com. 8.* Pignatell. *tom. 3. consult. 7. num. 59.* (28. Insuper piscatio differt a venatione, non solum tantum Jus magis licitum, et spectaculum minus cruentum; sed quia est magis humilis, et civilis, quæ non eget hujusmodi clamore,

et tumultu canum, accipitrum, aut falconum, quos alere prohibentur Clerici; *c. Episcopus 2. dist. 34. c. Episcopus 1. et c. Omnibus 2. de Clerico venatore.* (29. Et ideo piscatio Ecclesiasticis personis indistincte permissa est, non autem venatio, nam quo cruentius est Jus venationis, eo videtur magis ab humilitate esse alienum; *l. Cruenta Spectacula, Cod. de glad. lib. 11.* minusque Ecclesiasticis convenire personis. Pignatell. *loc. cit. n. 7. in fin.*

(30. Unde reperimus in Jure impositas esse pœnas contra tales Venatores, non autem contra Piscatores. Si enim Venator sit Episcopus, suspenditur tribus mensibus, si Presbyter duobus, si Diaconus ab omni Officio; textu expresso in *cap. Episcopus 1. de Clerico Venatore*, ibi: « Quod si quis talium personarum in hac voluptate sæpius detentus fuerit, si Episcopus est, tribus mensibus a communione; si Presbyter, duobus; si Diaconus ab omni officio suspendatur. » (31. Quam suspensionis pœnam etiam ad Subdiaconum extendit *Gloss. ibidem.* (32. Et etiam ad Clericos Minoristas Innoc. Hostiens. Joann. Andreas, Henrich. Boisch. *ibid.* quos refert et sequitur Sperell. *dec. 124. n. 29.* (33. Qui minoristæ, licet in dicto *cap. Episcopus* non comprehenderentur, ut volunt varii Canonistæ, essent tamen per communem Doctrinam arbitrio Judicis plectendi.

(34. Et ideo laudantur illi Ordinarii, qui sub determinatis, et arbitrariis pœnis interdiciunt omnibus suis Clericis hujusmodi venationem, et delationem armorum. (35. Quæ tamen pœnæ non debent esse nimis rigorosæ præcipue in prima vice, ut censuit *Sacra Congregat. Episcop. et Regul. in Assisien. 16. Mart. 1622.* præsertim excommunicationis ipso facto, ut in *una Eugubina 16. Januar. 1596.* ac sæpe alibi censuit, quod in prohibitione venationis, vel delationis armorum etiam prohibitorum facta quibuscumque etiam Clericis non debet apponi pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, nec privatio privilegii Clericalis, sed aliæ pœnæ Sacrorum Canonum, ut *die 2. Apr. 1691. et in Licien. 18. Junii 1602. et 15. Apr. 1604. et in Squillacen. 15. Jul. 1605.* (36. Potest vero ab Episcopo prohiberi Clericis delatio sclopi sub pœna suspensionis a divinis ipso facto incurrenda, dummodo sint in Sacris. Sic *Sacr. Congr. Conc. damnando delationem armorum in Sarcinaten. 12. Aug. 1645.* responsum dedit Episcopo, ipsum potuisse edicto publico imponere Clericis in Sacris constitutis pœnam suspensionis a divinis ipso facto incurrendam deferentibus archibugium, ita ut illud deferentes absque licentia dictam pœnam ipso facto incurrant, et si incursi celebrassent, irregulares evasisent; *lib. 17. dec. pag. 499.* (37. Clerici deferentes arma contra prohibitionem Episcopi possunt puniri, etiamsi non capiantur in fragranti, sed solum per testes fuerint visi. Cum enim de Jure Canonico in quolibet delicto procedatur per inquisitionem, et ex Officio, Rayn. *observ. Crimin. tom. 3. c. 34. § 10. n. 7.* prohibente

episcopali edicto delationem armorum seu scloporum venatoriorum, potest Episcopus contra transgressores procedere per inquisitionem, etiamsi non sint capti in fragranti, ne clypeo deficientiæ probationis corporis delicti per capturam in fragranti Clerici audaciores evadant, et sine pœnæ timore, delatione armorum abutantur, et occasio delinquendi illis præbeatur; Conciol. *resol. crimin. verb. arma, resol. 11. n. 1. et 5.* et alii ab ipso allegati. Tum quia Episcopus ex causa, et pro morum reformatione, sicuti potest augere pœnam Canonum, *cap. Et parte 11. de transactionibus, cap. Sicut dignum 6. de homicid. Abbas in cap. Licet n. 2. de Offic. Judic. Ordin. Riccius in praxi for. Ecclesiast. part. 2. resolut. 206, n. 1. vers. Secundo*; ita ad tollendos abusus potest ex officio, et per inquisitionem processum instituere contra Clericos arma, seu scloporum venatorium abusive, et frequenter deferentes, et eos moderata pœna pecuniaria mulcare. *Farinac. part. 12. q. 108. n. 13. Amen. de delict. et pœn. tit. 7. § 1. n. 16.* (38. Clerici tamen, qui non abusive, et frequenter, sed raro, bis, v. gr., ter, aut quater in anno moderatione et modestia servata, ac numquam dimisso habitu Clericali in saltu, vel in agro ad venandas aves recreationis gratia, sclopo venatorio uterentur, non essent processandi, nec puniendi, sed cum eis esset connivendum, et dissimulandum. *Glossa in cap. 1. de Cleric. venator. Conciol. resol. crimin. verb. arma, resol. 24. num. 2. et 5. Monacell. tom. 2. tit. 15. form. 4. n. 23. Pignatell. tom. 3. consult. 59. n. 13. ubi dicit venationis abusum, et non usum esse Clericis prohibitum. Eo vel maxime, quod clerici venatores non nisi trina monitione præcedente, puniendi sunt. Hostiens. in summ. tit. de venat. § fin. Ananias in cap. 1. de Cleric. venator. Henic. ibidem Menochius in const. 221. n. 52. vol. 3. Belet. disquisit. Cleric. tit. de disciplin. Cleric. § 19. sub n. 6. verb. Verumtamen, quos refert, et sequitur Sperell. dec. 124. n. 33.*

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(41. De prohibita Clericis delatione armorum diximus in addit. ad verb. *Arma*. Hic vero non incongrue quæri potest, an Clericus deferens arma, quæ statuto sæculari simpliciter, vel certo tempore aut loco prohibita sunt, spoliari iisdem a ministris Curie sæcularis possit? (42. Affirmant inter alios Julius Clarus § *final. q. 36. n. 26. Covarr. variar. resol. lib. 2. cap. 20. n. 18.* idque quia tale statutum concernit publicam utilitatem, et sacris Canonibus conforme est, adeoque Clericos etiam obligat. (43. Sed esto quod statutum hujusmodi possit obligare Clericos, tamen non sæcularis, sed

Ecclesiasticæ potestatis esse debet, ut Clerici illud observent. (44. Rectius igitur Ugolin. *de potest. Episcop. cap. 13. § 12. n. 3. Guazzin. par. 1. defens. 20. cap. 9. n. 11. de Jurisd. part. 4. centur. 1. cas. 7. per tot.* aliique sentiunt, quod dictus Clericus, nisi in fragranti crimine, aut ejus machinationeprehendatur, aliaque via non supersit, qua injuria, vel damnum ab ea inferendum prohiberi possit, armis etiam specialiter prohibitis jussu sæcularis Magistratus spoliari nequeat.

(45. Prohibitionem venationis Canonibus tot Conciliorum Clericis factam accipiunt communiter Canonistæ de venatione *clamorosa, et periculosa*, uti vocant, eaque quæ cum armis fieri solet, eaque propter tenent sanitatis, vel recreationis causa Clericos venatione uti non prohiberi, dummodo id faciant cum silentio, et modestia.

(46. At Ziegler. *de Episcop. lib. 4. cap. 19. n. 5. et seqq.* « Verum enim vero (inquit) interpretatio ista Canonistarum non videtur satis conveniens, vel Canonum textui, et literæ, vel priscis Ecclesiæ institutis. Canones quod attinet, generaliter illi omnem venationem interdiciunt. Et ne de hac generalitate quis dubitet, legi poterit interpretatio Nicolai Papæ, quæ habetur apud Gratianum dicto loco. Verba digna sunt, quæ hic adscribantur: Quorumdam relatione fidelium nostris auribus intimatum est, quod Lanfredus Episcopus, qui et juvenis dicitur, venationi sit deditus, quod vitium plurimos etiam de Clericali catalogo, genere dumtaxat Germanos, et Gallos, irreverentes implicat. Verum iste, si ita est, ut audimus, merito juvenis dicitur, quia juvenilibus desideriis occupatus nulla gravitate constringitur; nam ut Beatus dicit Hieronymus, Venatorem numquam legitimus sanctum... Oportet ergo fraternitatem tuam, Synodale cum Episcopis, et suffraganeis tuis convocare Concilium, et hunc salutaribus eloquiis Episcopum convenire, atque illi pastorali auctoritate præcipere, quatenus ab omni bestiarum, vel volucrum venatione penitus alienus existat, etc. Generalia sunt verba, et talia, quæ nullam admittunt exceptionem, aut limitationem, ab omnium bestiarum, vel volucrum venatione penitus alienus. In verbis sequentibus comminatur Pontifex excommunicare eum debere pro venationis delectatione, si parere contempserit. Nec distinctionem fecit inter Episcopos, et alios Clericos, dum ait, vitium istud plurimos etiam de Clericali catalogo implicasse. In utrisque scilicet vitium esse censetur. Instituta Ecclesiæ primitivæ hæc erant, ut Clerici morum gravitate, et vitæ genere omnibus aliis in republica Civibus antecellerent, utve, quantum fieri posset, inania hominum studia, et nimiam familiaritatem vitarent, et ab omni negotio abstinerent, per quod corrumpi sanctitas Christiana posset. Honoratur Ministerium, inquit Bernardus epist. 28. morum gravitate, consiliorum auctoritate, et actuum honestate. Nec enim doctrina tantum, sed et vita Ministrorum Ecclesiæ in conspectu omnium instar Civitatis supra montem sitæ posita est, adeoque

cavendum ipsis assidue, ne vitæ humanæ tenebris involvantur, et ab enormi actionum suarum norma scandalum Ecclesiæ præbeant. Atque hinc dubitare licet, utrum per venationis exercitium servari possit ea morum gravitas, quæ in Ministro Ecclesiæ exigitur. » Hanc ipsam distinctionem pluribus rejicit Joannes Busæus ad *Epist. 56. Petri Blesensis.*

ARTICULUS VII.

*Clericus, quoad immunitatem, et exemptionem.*

(1. Clerici fugientes ad Ecclesiam gaudent immunitate Ecclesiastica. Sac. Congregat. Immunitat. in *Romana 17. Januar. 1628. lib. 1. Decr. Pauluc. pag. 79.* (2. Clericus percussor alterius Clerici confugiens ad Ecclesiam gaudere debet immunitate; ead. Sac. Congregat. in *Sulmonen. 9. Octobr. 1635. lib. 2. decret. Paul. pag. 236.* (3. Etiam Regularis captus in loco immuni pro delicto non excepto in Bulla Gregorii XIV. gaudere debet immunitate Ecclesiastica. Eadem Sacra Congregatio in *Fulginate. 9. Mart. 1639. lib. 1. Decr. Paul. pag. 116.* (4. Immo Regularis Sacerdos de ordine Prioris Conventus, et Commissarii causæ Criminalis extractus ab Ecclesia Conventus, ad quam confugerat e carceribus ipsius Conventus restituendus est, et injungitur Archiepiscopo, ut mandet restitui. Eadem Sac. Congregat. in *Neapolitana 11. Octobr. 1692. lib. dec. Grimald. pag. 209.* (5. Clerici non tenentur ad solutionem onerum impositorum pro Physico, Chirurgo, et Ludimagistro. Sac. Congr. Episc. et Regul. in *Lauretana Pennen. Diocesis 2. Aug. 1619. et Sac. Congreg. Immunit. in una Nullius S. Laurentii in Campo 14. Febr. 1628. lib. 1. decr. Paul. pag. 84.* (6. Clerici non tenentur ad onera, nisi ea sint certa, realia, et invariabilia. Sac. Congreg. Immunit. in *Camerin. 17. Jan. 1626. lib. 1. decr. Paul. pag. 80.* (7. Clerici gaudent exemptione pro bonis patrimonialibus in totum, et etiam pro acquisitis et donatis. Eadem Sacra Congregatio in *Campanien. 4. Septemb. 1674. lib. 1. decr. Altovit. pag. 992.* (8. Clerici ex solo Characterе Clericali gaudent exemptione ab impositionibus, collectis, et aliis oneribus. Eadem Sac. Congregat. in *Fanen. 23. Jun. 1647. l. 4. decr. Paul. p. 19.* (9. Etiamsi sint in Minoribus, nec habeant requisita Concilii; cum Concilium Tridentinum non habentibus dictas qualitates non adimat nisi privilegium Fori. Eadem Congregatio in *Firmana 10. Septembr. 1629. lib. 2. decr. Paul. pag. 5. in Assisien. 29. Jun. 1629. lib. 2. decr. Paul. pag. 141. et 10. Maii 1633. lib. 2. decr. Paul. pag. 155. et 3. Octob. 1634. lib. 2. decr. Paul. pag. 203. in Aprutina 6. Martii 1635. lib. 2. decr. Paul. pag. 218. in Fanen. 13. Augusti 1647. lib. 4. decr. Paul. pag. 23.* (10. Etiamsi in susceptione Ordinis protestati fuerint nolle eximi ab oneribus Laicalibus. Eadem Sac. Congregatio in *Aprutina 10. Septembr. 1652. lib. 4. decr. Paul. pag. 196.* (11. Etiamsi sint Clerici solum primæ Tonsuræ, sunt exempti ab impositionibus Laicalibus. Eadem Congre-

gatio in *una Montis Regalis 10. Augusti 1638. lib. 2. decr. Paul. pag. 69. in una Montis Alti 10. Novembr. 1628. lib. 3. decr. Paul. pag. 77. in Mutinen. 23. Aug. 1650. lib. 4. decr. Paul. pag. 116.* (12. Etiamsi ipsi Clerici habentes solum primam Tonsuram Habitum, vel Tonsuram non deferant, nisi tertio moniti, contumaces extiterint. Eadem Congregat. in *Aquilana 5. Maii 1741. lib. 3. decret. Pauluc. pag. 138. Fagnan. in cap. Pervenit. 2. de immunit. Ecclesiarum numer. 14. et 15.*

(13. Clerici gaudent exemptione pro bonis patrimonialibus in portione sibi tangente. Sac. Congregat. Immunit. in *Asten. 10. Maii 1633. l. 2. decr. Pauluc. pag. 156. in Novarien. 23. Aug. 1633. lib. 2. decr. Paul. pag. 169.* (14. Clerici non tenentur ad Gabellas, quando per alios, vel per se ipsos absque sui Officii detrimento arti sericæ operam dant cum foliis arborum in propriis bonis existentium. Eadem Congregatio in *Neocastr. 9. Jun. 1637. lib. 3. decr. Pauluc. pag. 34.*

(15. Clerici in Minoribus constituti viventes simul cum eorum Patribus, non tenentur ad collectas, et alia onera pro bonis sibi donatis, nisi donationes sint fraudulentæ, et uti tales per Judicem Ecclesiasticum declaratae. Eadem Congregat. in *Hieracen. 4. Jul. 1645. lib. 3. decr. Paul. pag. 244.*

(16. Clerici in Minoribus etiamsi non se promovere faciant ad Ordines Sacros, gaudent exemptione ab impositionibus. Eadem Congregatio in *una Civitatis Pennæ 21. Mart. 1656. lib. 3. decr. Paul. pag. 273.*

(17. Clerici sunt exempti a Gabellis Laicalibus etiam pro portione colonica. Eadem Congregatio in *Ortunen. 24. Jul. 1634. l. 2. decr. Paul. pag. 199.* (18. Clerici non tenentur ad Gabellam impositam pro extractione olei recollecti in suis bonis Patrimonialibus, et Beneficialibus. Eadem Congregatio in *Lycien. 24. Julii 1634. lib. 2. decr. Paul. pag. 196.* (19. Clerici Cives Romani possidentes bona in Territorio Civitatis Malleani, non tenentur ad solutionem Gabellæ extractionis vigore statuti Laicalis debite pro fructibus ex iisdem bonis recollectis Romam convehendis pro eorum usu. Eadem Congregatio in *Sabinen. 8. April. 1687. lib. decr. Martell. pag. 86.* (20. Clericus non tenetur ad impositionem Capitulationis ex bonis, et redditibus Patris, cujus impensis vivit. Eadem Congregatio in *Aquilana 4. Sept. 1640. lib. 3. decr. Paul. pag. 127.*

(21. Clerici non gaudent privilegiis Patrimonii Ecclesiastici pro bonis ad suscipiendos Ordines Sacros eis assignatis, donec non fuerint in Sacris Ordinibus constituti. Si vero dicta bona fuerint translata in possessionem eorumdem Clericorum sine fraude, de qua Episcopus diligenter cognoscere debet, gaudent, ut cætera bona a Clericis acquisita etiam ante susceptionem Ordinum Sacrorum. Eadem Congregatio in *Castellaneten. 20. Mart. 1662. lib. Decret. Rocci pag. 391. in Campanien. 4. Septembris 1674. lib. 1. Decret. Altovit. pag. 992. in Pedemontana 22. Novembr. 1692. Decr. Valleman. pag. 4.*